

quam quia *animalis homo*, ut D. Paulus ait, *non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei* (1).

2. Exhibebimus exempla veterum philosophorum, "qui, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt." Unde eos in execranda scelera turpissimaque flagitia, naturæ rationique repugnantia, prolapsos constat, "repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia." Hac proposita VV. philosophorum effigie, addemus meliora de hodiernis philosophis, quales se vocitant, exspectari haud posse, imò graviora exspectari debere; cum Deo, divinique luci magis resistentes multòque magis ingrati majoribus etiam turpitudinum ac cæcitatibus pœnis a Deo castigari mereantur.

3. Commemorabimus pravos errorum reliquias qui ex doctrina illorum sapientium in jus ac leges Justiniani irrepserunt, ceu de occisione uxoris in adulterio deprehensæ, de præscriptione cum mala fide, de transitu ad novas nuptias ob absentiam conjugis alterius, de alimentis proli spurix negandis, aliisque istius generis, quibus jus sacrum interpretando vel corrigendo mederi debuit.

4. Nec silentio tegemus pravos doctrinas, in quas viri, cæteroque docti et probi, at ingenio et rationi præsertim, tanquam in scopulos, infeliciter incurrerunt; id quod palam faciunt theses a SS. Ecclesia damnatæ et pro damnatis ab universo orbe catholico agnitæ, theses *impie et sacrilegæ* contra cultum Summo Deo et cælitibus impendendum; contra sanctitatem mysteriorum Dei et sacrarum rerum; theses *seditionis et schismaticæ*, utriusque regimini tam sacro quam civili infestæ theses *sanguinariæ* de homicidio et duello; theses *injustæ* de furtis et usuris; theses *flagitiosæ* in genere luxuriæ.

5. Tristibus hæc lapsuum exemplis adjungemus recentiorum errores temporum, eorum scilicet, quibus rationis ac naturæ jura et leges maximè coluntur et prædicantur. Vir cl. P. Xav. Zech de iis qui in exponendis jurium vitæ præceptis omnia rationi, nihil sacræ auctoritati tribuendum statuunt, in hunc modum scribit: Ut suspecta nobis reddantur hominum istorum placita, alia opus non est, quam ut doctrinas, in quas infelici ratiocinio prolabantur, obiter referamus. Aliqui polygamiam pro calculo alterutrius sexus, alicubi jure naturali præceptam, passim autem etiam muliebrem permissam putant, nec indulgendum dicunt, ut in regione in qua polygamia in usu est amplectatur quis religionem quæ polygamiam prohibet; alii divortia passim licita defendunt; alii falsiloquii et simulationis non solum honestatem, sed etiam necessitatem propugnant, juramenta promissoria peculiarem obligationem producere negant; alii usuram ab omni injustitia absolvunt; alii concubinam laudant; apud alios ratio humana ignorat an Deus externo cultu coli voluerit; alii ex solo suæ rationis lumine non agnoscunt, occisionem sui ipsius universim esse prohibitam; aliis ratio dictat matrimonium iniri posse ad certum tempus; aliorum ratio, omnibus licet disputandi regulis, omnibus ratiocinandi principiis suffulta, succumbit, quando agitur de domanda libidine, adeo ut ex naturali ratione concludere nesciant bestialitatem aliaque libidinis monstruosæ genera esse prohibita; alii asserunt connubia parentum et liberorum non esse objectum legis

(1) I Cor. II, 14; I Rom. I, a v. 21, et a v. 29.

naturalis. Contra ex acumine ingenii sui deprehendunt quod juri naturali repugnet, sepeliri mortuos in templis; quod concubitus cum uxore menstruata æquè horrendum crimen sit ac sodomia (1).

### § III.

#### VIS ET AUCTORITAS.

Est hæc de rationis humanæ vi vel potius infirmitate disquisitio hoc ævo fortassis magis necessaria, ac ullo alio fuit, quia rationis jura in contemptum divinæ religionis omnisque pietatis nunc maximè jactantur; reipsa autem nova non est hæc disputatio. S. Thomas, vir nempè, si quis alius, acuto ingenio et præstante pollens intellectu, idemque veritatis indagandæ studiosissimus ac patientissimus laboris, l. parte summæ q. 1 a. 1, quærit utrum sit necessarium, præter philosophicas disciplinas, aliam doctrinam haberi; idque affirmans ait, imprimis necessariam esse revelationem ob finem homini præstitutum, "qui comprehensionem rationis excedit;" addit dein: "Ad ea etiam, quæ de Deo ratione humana investigari possunt necessarium fuit hominem instrui revelatione divina, quia veritas de Deo per rationem investigata a paucis, et per longum tempus, et cum admixtione multorum errorum homini proveniret; a cujus tamen veritatis cognitione dependet tota hominis salus, quæ in Deo est." Qui sprete revelatione et Ecclesiæ auctoritate de Deo disputant, de providentia divina, de actionibus Deo gratis, de pœmissis, de vetitis, de præmiis et suppliciis, homini paratis post hanc vitam, et dissentiunt ipsi alter ab altero, nec quisquam ferè secum ipse consentit; affirmant, negant, dubitant, destruunt, quæ extruxerant, ipsaque religionis naturalis principia pro exploratis non habent. Ita vitam quærendo, ac dubitando traducunt, et ferè desperando finiunt, ex eorum nempè numero, "qui dixerunt Deo: Recede a nobis; et: Scientiam viarum tuarum nolumus (Job. XXI, 14)." Quid ergo de multò maxima hominum parte fieret, si divino revelationis lumine careret?

Eandem quæstionem S. Doctor pertractat alio loco, his verbis disserens: "Necessarium est homini accipere per modum fidei non solum ea quæ sunt supra rationem cognosci possunt, et hoc propter tria. Primò quidem, ut citius homo ad veritatem divinæ cognitionem perveniat. Secundò, ut cognitio Dei sit communior: multi enim in studio scientiæ proficere non possunt, vel propter hebetudinem ingenii, vel propter alias occupationes et necessitates temporalis vitæ, vel etiam propter torporem addiscendi. Tertiò, propter certitudinem: ratio enim in divinis rebus est multum deficiens (2)." Enimverò cognitio veritatum moralium ac momentorum easdem sequendi, firmissima esse debet ac clarè proposita; secus quovis contrariæ commotionis impulsu exploditur; at verò id sola obtinetur revelatione.

### § IV.

#### RATIONIS USUS ET UTILITAS IN JURE SACRO.

Philosophia rectè exposita perceptaque ingentes affert commoditates iis, qui ad severiores disciplinas atque imprimis ad Jurisprudentiam sacram progressuri sunt:

(1) In dissertat. politico-legali de ambitu, c. 3.

(2) 2, 2, q. 2, a. 4, et l. I, contra gentes, c. 4. Adde quæ in Jure naturali private § LXIV, per tot, scripsi de cognitione Dei rerumque divinarum. Ex instituto ista tractantur a theologis, cum de naturalismo et necessitate divinæ revelationis agunt.



nam acumine ingenii, et solertia cogitandi opus est ad perspicendas rationes legum ad comparandos similes ac dissimiles casus casuumque decisiones, ad sophisticata tum litigantium, tum recentium juris sacri adversariorum detegenda, demonstranda, confutanda. Genuinis principiis jurisprudentiæ ecclesiasticæ non modo tinctum, sed imbutum esse oportet, qui a ludibriis et captiunculis, perversisque doctrinis scriptorum ætatis nostræ in hoc genere libertatem suam et integritatem, religionem ac salutem tueri avet. Atqui nisi philosophicis institutionibus exercitiæ sint mentes teneræ, et cogitandi studio corroboratæ, et longiore serie connectendis ideis assuefactæ, operam ferè perdent, sæpè animum quoque; ac in plena prælectionum luce caligabant. Utinam non id quotidiana testaretur experientia hoc ævo, in quo id agitur a parentibus ac tutoribus, ut adolescentes quam brevissimo tempore minimisque sumptibus, quasi ex cunis in ludum et pueritiæ disciplinam, inde in gymnasia, lycea, academias, ex his cruda studia deferentes in senatum, ad tribunalia, ad cathedras, in dicasteria provehantur. Hinc illæ lacrymæ proborum omnium, hinc reipublicæ utriusque calamitas existit non modica sanè parte! (1)

Si de singulis philosophiæ partibus, quam utilitatem derivent in disciplinam Juris, speciatim agendum est, imprimis dialectica et philosophia prima non modò rectas definiendi, dividendi atque argumentandi regulas artemque tradunt; sed si, ut oportet, tractatæ sint ipsas notiones vocibus subjectas investigare docent, prima idearum nostrarum veluti stamina, id est, ideas simplices inquirunt earumque complexiones distinctè examinant. Quæ res detegendis cavillationibus scriptorum perquam utilis et necessaria est. Invaluit enim novam illusionis genus, ut turpitudine rerum honestate vocum tegatur, et quæ bona, quæ laudabilia, quæ plena religionis ac pietatis sunt, nominum et vocabulorum afficiantur ignominia, et imperitorum atque imprudentium contemptui objiciantur. Exempla sunt hujusmodi: ipsa philosophiæ vox, quæ amorem studiumque sapientiæ reipsa exprimit, eo jam sensu accipitur, ut religionis revelatæ omnisque auctoritatis sacræ contemptum neglectumque denotare debeat; contra exercitia pietatis et fidei divinæ cultum ac firmitatem dedecore vocabulorum *superstitionis, abusuum, mechanicæ pietatis, cæcæ fatuitatis* publicis in scriptis afficiunt. *Perfectionis* vox honestissima est; at qui in disciplina naturalis juris ea perpetuò utuntur, ferè non aliud eadem voce denotant, nisi commoda præsentis vitæ, oblectamenta sensuum, copiam divitiarum, fucum humanæ gloriæ. Si gravissima errorum, hæresum, et scissionum delicta negligenter ac solutè ferantur et impunita dissimulentur, id ad laudem *clementiæ* et *charitatis* vertunt. *Felicitatem* et *beatitatem* perpetuò in ore ac stylo habent; at, quæ est illa beatitas, quæ felicitas quam doctrinis suis spondent? Exposui istud in Jure publico universali, c. VI. § 224. Sic obtentu *boni publici* rapinam suadent bonorum sacrorum, turpitudinem *fornicationis* ut tegant, eam matrimonium vocant temporarium. Qui voces a notionibus distinguere non didicit, nec artem scit ideas vocabulis subjectas ex verborum copia ac volubilitate eruendi colligendique, ægrè ex his fallaciarum laqueis evadet.

Hi quidem, quos antè commemoravi, pravitate animi, doctrinæque, vocabulorum vim et notiones rerumque ipsarum naturam corrumpere attentant. Alii benè se de disciplinis meritos arbitrantur, si novandis et poliendis veterum definitionibus dent operam. Observavi dudum, cum philosophicas ederem institutiones, hunc irrepsisse morbum quorundam, qui, cum impares se videant rebus præclaris,

(1) Vide notam XII ad prolegomena.

quæque momenti alicujus essent, excogitandis proferendisque in lucem, omnem operam suam ad emendandas novandasque vocabulorum definitiones conferunt; dictatorium jus usurpantes ac præscribentes, quid litterati viri per voces, quarum notio dudum fixa est receptaque, designare deinceps et intelligere debeant. Examina loco eodem, an ne et quatenus *arbitrariæ* sint notiones. In jure quidem nominum definitiones ex ipsis legibus, aut recepto jam sensu definitæ sunt, uti fit, e. g. de variis contractibus, delictis item, ac criminibus. De illis exstant certa jura; de his constitutæ sunt certæ pænæ; si notiones immutentur, non potest non juri legumque confusio provenire. Uti valor nummorum publicus est, ita significatio vocabulorum; consuetudo vim legis hac etiam in re habet; cui derogare non potest privata auctoritas, quàm sibi notionum opifices arrogant, juxta cum indignatione rejiciendi a viris gravibus, veritatisque ac justitiæ amantibus.

Aliud invaluit fallaciæ genus, quo ad opprimenda vel eludenda jura antiqua novæ intruduntur divisiones antiquis incognitæ: sic negotia Ecclesiæ essentialia, accidentalialia, mixta jura Summi Pastoris originaria, adventitia, devoluta nominant, duellum aliud esse vindicem honoris volunt, aliud vindicem fortunarum; dogmata alia aiunt primaria, et fundamentalia, alia secundaria; actiones religionis alias necessarias vocant, alias adiaphoras, etsi maximam vim ad pietatem habeant. His captionibus invigilare docet dialectica, quæ earum fundamentum inquirat, atque expendit. Vulgata regula est: *Ubi jus non distinguit, neque nos distinguere debemus.*

Philosophiæ quoque naturalis seu physices studium multò majora ac vulgò creditur, commoda affert ad graviores disciplinas accedentibus. Ac Cronographiæ quidem et cronologiæ cognitio, qua penitus carere non potest studiosus juris sacri notitia rerum physicarum primò nititur. Cum de miraculis, de superstitione aliisque id genus lis oritur, cognitio naturæ ejusque virium ac legum faciem præferre ad eam decidendam debet. Qui deinde in contemplando mundi ordine rerumque creaturarum motibus, viribus ac legibus diligenter versati sunt, sanè mentem afferunt ad severiores disciplinas longasque nectendas idearum ac veritatum series satis præparatam aptamque. Est enim, quod supra attigi, uti humanæ vitæ, sic rationis atque intelligentiæ infantia quædam et imbecillitas; et quemadmodum teneri infantes, cum suis insistendi pedibus gradiendique experimenta primò capiunt, posteaquam bis, terve promoverunt pedem, illicò fatigari et concidere solent; sic adolescentes, qui nullo rerum philosophicarum studio exercuerunt mentem, et cogitandi vim acuerunt, quando ad subtiliora gravioraque juris capita perveniunt, plurimumque idearum inter se nexarum veluti gradus conficere cogitando deberent citò succumbunt, animumque despondent, rei difficultatem, vel institutionis obscuritatem accusantes.

Est alius insignis fructus, quem ex disciplina physices reatè pertractata capere debemus, ut vires humanæ mentis arcuosque intellectus nostri in mortali hoc statu limites indubitato perspiciamus atque adedò sentiamus. Quo fit ut facillimè sibi quisque persuadeat in divinis rebus, quæ longè supra naturam sunt, plurima inesse, quæ non comprehendi a nobis in hac vita possunt, sed, affirmante divina auctoritate, lubentissimè accipi et pro veris haberi debent. Perspicuitatis quidem seu evidentiæ mathematicæ sensum rerum mathematicarum periti habent, iidemque cum in cognoscenda rerum creaturarum natura versantur, quid et quatenus perspicuè cognosci, quid abditum sit atque ab humana intelligentia remotum, persentiscunt. Res geometricæ, in quibus evidentiæ mathematica elucet maximè, simplicissimæ sunt et trinam duntaxat dimensionem menti exhibent, remota quavis alia corporearum qualitatum idea. Quamdiù binas tantum ideas, id est, extensionem



in longum, et latum, sive figuras comparamus, satis perspicuus est eorum nexus, et demonstrationum lux clara in rectilineis saltem figuris: nam, in curvilineis longior est demonstrandi nexumque veritatum quoad singulos numeros uno vel intuitu mentis contuendi labor et intensio difficilior. Si tres conjunguntur ideæ, in longum, latum et profundum, demonstrationes evadunt magis complicatæ minusque distinctæ. In algebra quanti circuitus, et quam difficiles evadant demonstrationes, si quantitates indeterminatæ et potentiæ crescant, peritis notum est. His spectatis, quæ, obsecro geometrica et mathematica methodus in re morali locum habet, in qua tot diversæ ideæ, tot diversi hominis nexus, tot relationes, tam multiplex finis, tot indeterminati finium, et necessitatum gradus concurrunt? Quæso, expendat lector vel primum caput Juris naturæ privati, in quo hominis, humanique status analisim et velut anathomiam exhibui; ac si dein idearum geometricarum paucitatem, ac simplicitatem cum tam multiplici, ac dispari idearum concursu, quæ in definiendis hominum juribus et obligationibus simul spectandæ sunt, comparaverit; videbit, profectò, quantoperè ineptient scriptores novi Juris publici universalis, qui identidem mathematicas demonstrationes promittunt, ut nempe imperitis facum faciant, et sophismata pro veritate, nubem pro Junone obrudant (1).

## ARTICULUS VI.

DE CONSTITUTIONIBUS PRINCIPUM EORUMQUE JURE CIRCA SACRA.  
EXCUTIUNTUR PERNICIOSÆ RECENTIORUM SCRIPTORUM  
DE ILLO JURE DOCTRINÆ.

## § I.

*De potestate summa, etc.*

“Potestas a Christo concessa Ecclesiæ est potestas publica et rectoria, veræ auctoritatis et jurisdictionis, segregata ab omni naturali, politica et civili potestate, in suo genere summa et independens, in apostolos et Petrum maximè, apostolorum caput, utrorumque successores non in totam communitatem fidelium collata. Est hoc dogma catholicæ fidei adedque fundatum in verbo divino; nempe clarè expressum in Sacris Scripturis, constanter assertum et comprobatum usu et traditione RR. Pontificum, conciliorum tam generalium, quàm particularium, et venerabilium Patrum Ecclesiæ, semper defensum auctoritate catholicorum scriptorum, a summis principibus catholicis agnitum, quod fatentur doctores Juris publici non modo catholici, sed etiam protestantes (2). Atque ut nihil desit ex om-

(1) Vide notam XIII in prolegomena.

(2) Puetterus, vir inter protestantes summi nominis, in Instit. Jur. publ. germanici, § 431, in hunc modum scribit: “Ex principiis Ecclesiæ romano-catholicæ, quicquid vi hierarchiæ in illa introductæ ad jurisdictionem ecclesiasticam, et jus diocessanum pertinet, illud in Germania quoque catholica in potestate episcoporum est, in subordinatione sub metro politica archiepiscoporum, et suprema Pontificis Romani potestate; eaque ecclesiastica potestate ipsa imperator non minus, quàm singuli catholici status horumque subditi catholici continentur; tantùm abest, ut seu imperator, seu sæcularium quispiam statuum catholicorum sibi quidquam istius potestatis ecclesiasticæ sumere possit.” Rectè omnia expressit vir doctissimus, præterquam quod verbum introductæ hierarchiæ anceps sit, imò humanam potiùs inventionem, quàm institutionem divinam, qualis re ipsa est, indè ab apostolis accepta indicare videatur. Eam hierarchiæ institutionem exposui, c. III, et IV, juris Eccl. publ. eamque ab objectis adversariorum vindicant polemici maximo numero.

nibus theologicis et canonicis locis, ejusmodi id dogma est, pro quo ipsa pugnat ratio ex hypotesi Ecclesiæ sic institutæ a Deo, ut sit maneatque una, sancta, catholica et apostolica, quæ præclaræ dotes notæque apertè ex sacro pendent imperio.

## § II.

DISTINCTIO INTER ECCLESIAM ET SOCIETATEM CIVILEM RATIONE STATUS.

Secundum præmissum dogma, et receptam notionem *status*, Ecclesiæ catholicæ tribuenda est vera ratio *status sacri, vel ecclesiastici, vel hierarchici*. “Nam *status*, inquit Pufendorfius in libello de habitu religionis christianæ ad vitam civilem (1), intelligimus ejusmodi conjunctionem plurium hominum, quæ imperio “per homines administrato, sibi proprio, et aliundè non depende continetur.” Et ib. alio loco: “Ad statum requiritur imperium, ex quo promanat præminencia “unius præ altero.” Porro Ecclesia catholica, secundum præmissum dogma, est talis hominum conjunctio, ac tali gaudet imperio, in quo unus præ alio eminent, ut evidens est. Protestantes, de potestate Ecclesiæ, quam ipsi nominant coluntque, non unam excogitarunt hypothesim. Moserus eoque teste antiquiores omnes, ac plures etiam recentiores, *systema territoriale* nuncupant, quo principi laico jus sacerorum ex superioritate territoriali adjudicatur. At Pufendorfius, Pfaffius, Boehmerus *systema collegiale* abstruunt, aiuntque: Ecclesia non est status, sed est collegium, seu societas æqualis, sine supremo imperio, jura majestatica, quæ princeps circa alia collegia, tribus et universitates in civitate de gentes exercet, eadem et eodem ex titulo exserit in Ecclesiam; alia jura collegialia ei non competunt, nisi vi translationis seu delegationis tacitè vel expressè a collegio factæ (2). “In formandis ecclesiis, ait Pufendorfius, non est opus decreto super certa regiminis forma introducenda, absurdæque aded sunt quæstiones, monarchica, aristocratica, an democratica forma competat Ecclesiæ. Hæc quippè formæ cadunt in “statum aliquem, seu et civitatem; Ecclesia autem status non est (3).” Addit tamen: “Est autem ea natura collegiorum omnium, quæ libera hominum coitione constant, ut aliquid habeant democratiæ simile hactenùs, ut, quæ eam in universum concernunt negotia, communi omnium consensu sint expedienda.” Hæc idcirco commemoravi, ut quis intelligeret: *primò* doctrinam catholicam de potestate hierarchica a civili segregata et independente toto cælo, distare ab hypothesi protestantium de ratione collegii et jurium collegialium; *secundò* cum principia tantoperè differant, consecraria seu consecutiones non debere non differre plurimum; *tertiò* summam inconsiderentiam, aut imperitiam esse scriptorum quorundam recentium, qui, cum catholicos se et catholicam de natura Ecclesiæ et hierarchiæ potestatis doctrinam profiteantur, eadem consecraria et iisdem propè verbis ex auctoribus protestanticis exscribunt, quemadmodum mox infra ostendam.

## § III.

DIFFERENTIÆ INTER UTRIVSQUE LEGES, ORIGINEM OBJECTUM ET FINEM.

1. Hæc distinctio utriusque potestatis, sacræ nimirum et profanæ, præmittenda hoc loco fuit, antequam de usu constitutionum, quæ principum auctoritate ema-

(1) § 11, p. 46, edit. Bremens. a. 1692, et ibid. § 28, p. 107.

(2) De variis protestantium hypothesibus in re tanti momenti diffuse agitur in Thesaurò juris Eccles. t. III, n. XIV, diss. de censura principii.

(3) Pufendorf. c. I, § 32, p. 139, et § 93, p. 183.



nant, ageretur. Distinctionem eandem ex primis Juris principiis deduxi tum in Jure publico naturali (l. III, c. 6), tum in ecclesiastico (1). Ex hac autem potestatum distinctione multiplex etiam inter leges, quas utraque condit, provenire debet differentia ac dissensio; quæ accuratè expendenda est, ut regulæ statui possint, qualis lex, sacrane, an profana, in casu collisionis tenenda sit. Dixi in Jure naturali publico, civilem potestatem ab ecclesiastica differre origine, fine, mediis ac ferè etiam objectis; quæ omnia expendenda nunc sunt:

2. Potestas sacra a Deo, ut collatore gratiæ supernaturalis, data est Ecclesiæ, quæ, in proponenda ac declaranda doctrina fidei et morum, divino Spiritu regitur. Hoc singulari privilegio potestas civilis non gaudet. Si ergo de Jure maximè naturali aut divino aliter statuatur leges civiles, aliter leges Ecclesiæ seu canones, sine dubio canones tenendi ac præferendi sunt civilibus legibus. Nam tales canones censentur esse pars Juris divini, quia Juris interpretationes, a legitima auctoritate profectæ, ad jus dilucidatum pertinent et parem obtinent auctoritatem. Quemadmodum ergo Juri civili Jus divinum indubitato præferendum est, ita etiam Jus canonicum in ea hypothese eidem anteponi debet, quod Juris divini pars est. S. Hieronymus, in epitaphio Fabiolæ, eam proferens Juris civilis dispositionem, qua maritus cum femina soluta peccans adulterium committere non censetur, sic inquit: "Aliæ sunt leges Cæsarum; aliæ Christi: aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. Apud illos viris impuditiæ fræna laxantur; apud nos, quod non licet feminis, æquè non licet viris; et eadem servitus pari conditione censetur." Similiter disserendum est de legibus civilibus, quæ videntur approbare concubinatum, usuras, præscriptionem cum mala fide, viri uxorem propter justas causas dimittentis, matrimonium cum alia, occisionem uxoris adulteræ, etc. (2). In his, quæ ad fidei morumque doctrinam spectant, Ecclesiæ subjecti sunt fideles, eamque audire et revereri tenentur. Nec verò contra hanc suam obligationem et Ecclesiæ jura quidquam potestatis transferre in principes potuerunt: ipsi principes in numero ovium sunt, qui vel maximè pasci debent a pastoribus divinitus institutis.

3. Sacri canones pro objecto maximè habent religionem et divinum cultum, tum res et personas Deo singulariter dicatas, de quibus indè a primis temporibus præcipua quadam cura disposuerunt; consulunt item maximè reverentiæ sacramentorum et matrimonii potissimum, cujus profanandi plura instant et graviora pericula. Leges civiles pluribus ex causis probare videntur dissolutionem matrimonii, in quo magis spectant contractum quam sacramentum; canones verò dignitatem sacramenti considerant et primævam institutionem, propter quam illud dissolvi non potest (3). Huc referendi maximo numero canones de decimis, alienatione bonorum Ecclesiæ, jure asyli, aliisque immunitatibus ecclesiarum.

4. Finis Ecclesiæ præcipuus est removeere homines a peccato, et salutis perdendæ periculo; dein Christi mansuetudinem imitari, et in regimine administrando æquitatem potiùs et humanitatem, quam rigorem, qui in civilibus legibus sæpè dominatur, consecrari: hinc ferè usus etiam fori, ac Germaniæ imprimis, quando canones a Jure civili romano æquitatis causa discedunt, non jus istud, sed canones pro norma tenent. In dubio de æquitate judicium Ecclesiæ privatorum opinionibus longissimè anteferendum est.

(1) Vide in his prolegomenis caput primum, art. VIII, pag. 44.

(2) Conf. Fagnanum in c. cum esse 10, de Testam. n. 166, et seq.

(3) Vide notam XIV ad prolegomena.

## § IV.

## REGULÆ DE USU UTRARUM LEGUM.

Expositis jam causis, ob quas canonicæ leges a civilibus aliquandò discrepant, regulæ de usu utrarumque legum, quas sacra agnovit antiquitas hominumque proborum universi orbis reverentia consecravit, proferendæ sunt:

1. In iis quæ potestatem exigunt divinitus institutam, aut ab eadem, religionis causa antiquitùs constitutæ sunt, rebus, ceu in materia spiritali de sacramentis, de piis ritibus, de statu clericali aut religioso, de beneficiis ecclesiasticis, aut quando de consuetudine quadam agitur, aut civili lege, quæ sine peccato observari non potest; cum item agnita æquitatis ratio differentiam Juris canonici a civili induxit; jus canonicum in utroque foro observandum est.

2. Maximi tamen faciendæ sunt principum constitutiones, quæ in causis mox indicatis et ad forum Ecclesiæ pertinentibus canones imitantur, auctoritate etiam politica Ecclesiæ leges promulgant, approbant, sanctione pœnali corroborant; cujusmodi constitutionum insignia et magno numero exempla exstant in codice theodosiano, l. XVI; in codice Justiniani, l. I, titulis primis, in Capitularibus regum francorum (1). Multi enim Ecclesiæ auctoritatem et sanctitatem canonum parvi faciunt: quorum proin temeritas impietasque majestate principum coerceri debet, ut in officio contineantur terrore gladii materialis, qui contemnunt spiritualem. Ecclesia istiusmodi leges a pietate principum sæpè exposcit, semper laudat, et approbat (2).

3. In materia profana vel adiaphora, si jus alterutrum, sacrum vel profanum, anceps aut obscurum est, alterum ex altero clariore illustrari debet, aut si quid decisum in uno, non item in altero reperitur, mutuo velut obsequio adjuvari et suppleri; quod factum in causa de novi operis nuntiatione a Lucio P. III, qui hanc effati sui rationem reddit: "Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum, principum constitutionibus adjuvantur (3)." Atque ob hanc causam tum ad ipsos canones ritè intelligendos, tum ad disceptandas clericorum causas, quæ in foro ecclesiastico agitantur, plurimum subsidii affert accurata juris civilis romani notitia.

4. Si qua in causa profana, quæ ad species n. l. relatas reducenda non est, Jus canonicum et civile ita discrepent, ut alterum cum altero conciliari nulla probabili ratione possit; tum quodvis in suo foro servandum vulgò statuitur, civile nempe in tribunalibus laicis imperii; canonicum in terris temporalis dominio Papæ subjectis; apud tribunalia item ecclesiastica in causis clericorum, quando hi scilicet sunt rei conventi, secundum genuinum sensum c. 9, de for. competent.

(1) Vide notam XV ad prolegomena.

(2) Fridericus II, imp. constitutionem edidit de libertate Ecclesiæ, et immunitate locorum religiosorum, quæ exstat in fine cœd. Justin. § ult. additur: Nos vero Honorius episcopus, servus servorum Dei, has leges, a Friderico rom. imp. filio nostro charissimo, pro utilitate omnium christianorum editas, laudamus, approbamus et confirmamus tanquam in æternum valituras; et si quis ausu temerario, inimico humani generis sua dente, quocumque modo has infringere tentaverit, indignationem Dei omnipotentis et beatorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

(3) C. 1, de N. O. N. Specimen subsidii ex Jure canonico petiti pro causa civili affert Matth. Herlichius P. II. Conclusionum practicabil. n. V, quando agitur de præscribenda quantitate vel qualitate præstationum annuarum. De qua re satis clara decisio exstat in c. cum olim 20, de censib.



## § V.

## RECENTIORUM PERNICIOSA PRINCIPIA.

Hæ quidem regulæ de usu utriusque juris, ac de principum constitutionibus in limine Jurisprudentiæ sufficere possent cupidæ sacrarum legum juventuti, nisi recentiores scriptores ipsis mox tyronibus obtruderent principia Juris publici universalis seu naturalis, eaque tanquam felicissima temporum nostrorum inventa, scituque necessaria imperitis adolescentibus, qui mali nihil suspicantur, nec judicare de re possunt, perpetuò occinerent recinerentque. Duo addunt præterea, tanquam hederam vino vindibili, quo et incautos certiùs alliciant citiùsque intra retia captiuncularum constringant. *Primò* ea principia, ex ipso rationis et naturæ Jure deprompta, mathematicam ac geometricam habere perspicuitatem firmitatemque, ut nec a Summo Deo, qui sibi ac naturis rerum contradicere ac repugnare neutiquam possit, aliter statui, omninò queat. *Secundò* disciplinam juris sacri, *morbis et usibus Germaniæ* accommodatam, tradere se profitentur, ne nimirum ex corpore juris communis, aut ex romanis decretalibus vel constitutionibus aliter judicare aut meliora sapere in animum quisquam inducat. Observavi ego in Jure pub. eccl. hæc principia istiusmodi esse, ut ea ad omnes Ecclesiæ ac religionis causas negotiaque adhibeant et adhibere doceant novi doctores eorumque ope et obtentu omnem usum sacræ potestatis miserrimè constringant, et laicorum subiciant arbitrio (1). Monendi igitur sunt studiosi Juris sacri, ne inanis atque adeò impiæ philosophiæ fallaciis illaqueari se eoque induci sinant, ut dogma catholicum de divina origine sacræ potestatis et ecclesiasticæ libertatis, quod ore et animo profitentur, re et usu judicandi de negotiis Ecclesiæ inficiari et ejurare discant.

## § VI.

## QUID SIT LIBERTAS ECCLESIASTICA?

Nominavi *ecclesiasticam libertatem*, eamque, ut omnis vitetur confusio duplicem distinguo; una ad *causas religionis et Ecclesiæ*, ad leges fidei, communionis et disciplinæ sacræ pertinens, consensu omnium catholicorum *divinam* habet originem; altera ad *causas temporales clericorum rerum et bonorum Ecclesiæ*, referenda, humanæ institutioni canonum vel imperialium legum tribui proximè solet. De libertate ecclesiastica quæ divinæ originis est in præsentia ago. Nec verò quemquam pravitate temporum, aut caducarum studio rerum adeò obcæcatum puto, ut parum interesse publicè asserat id libertatis divinæ genus tueri; quasi parum referret scilicet, cavere ne fundamenta domus Domini suffodiantur, aut ne pastor abigatur a custodiendo grege, operamve dare, ut contra irruentes lupos ejus defendatur auctoritas. Putant nonnulli de patria benè mereri se, quandò, incitata contra Ecclesiam Christi laicorum principum potestate, sacrarum legum vim et auctoritatem imminuunt, summum pastorem universo gregi pro munere suo vigilantem eludunt, communionis catholicæ vinculum relaxant, atque ad libertatem scilicet hæreticalem homines aspirare docent. Quo genere nullam magis exitialem patriæ perniciem afferre, neque ipsis principibus, in quos indignationem Summi Dei, et populorum assentationibus suis provocare satagunt, majorem importare calamitatem possent. Cum privatis scriptoribus mihi res est, non cum publi-

(1) Juris publ. eccl. l. V, c. VI, § CCCLXIV.

cis edictis, quorum ego nec judex, nec arbiter sum, perindè uti nec adversarii mei. Non id mihi sumerem profectò, ut tam fidenter commentarer de proposito argumento, etsi re tota diu multumque expensa, et universo naturali Jure indè a primis principiis et ponderato inanitatem ac fallaciam novæ illius philosophiæ, qua Jus publicum ad negotia religionis et Ecclesiæ adhibent, penitissimè perspexissem. Et quoniam naturalis rationis dictata maximè jaçant, ex iisdem refellendi a me sunt, non multis verbis, sed strictim et concisè brevibusque veluti notulis, quas argumentis eorundem subijciam.

## § VII.

## EVERTUNTUR FALSA FUNDAMENTA ADVERSARIORUM.

*Jus circa sacra* imperanti civili primo tribuunt generatim; at quo ex fundamento? Videamus. "Societas ad Deum eodem modo colendum inita est Ecclesia, inquit; eaque vel universalis vel particularis, seu existens in una provincia vel regno. Inferunt: Igitur aliqui actus pietatis ita pendent ab imperio civili ut, quamvis religio propriè civitatis finis haud sit, tamen imperans jus quoddam, circa Ecclesiæ suæ particularis religionis negotia disponendi, sibi asserere valet: quod vulgò jus circa sacra nuncupatur."

## I.

*Respondeo* 1. Aliud fundamentum juris circa sacra ex his non apparet, nisi quod Ecclesia particularis sit in regno, vel in *territorio imperantis*. Dicitur enim: *Circa Ecclesiæ suæ particularis et religionis negotia disponere valet imperans*. Hæc ratio genuina non est, concipi potest, uti exercitus ambulans, sic familia ambulans, civitas ambulans, uti apparuit in migratione populi judaici ex Ægypto. Quovis casu uti ductor exercitus, sic paterfamilias, sic princeps habet jus circa sacra minimè fundatum in territorio. Neque id jus circa sacra provenit ex *speciali* concessione seu *positiva institutione* Dei: cum enim Christus in terris versaretur ac plenè fundaret Ecclesiam, nihil potestatis ecclesiasticæ contulit in Tiberium imperatorem, nihil in præsides romanos, nihil in Herodem, nihil in magistratum judaicum; sed totum in Petrum primo effudit, dein proportionem quadam communicavit cum aliis apostolis. Quamobrem aliud ipsa re fundamentum juris circa sacra non est, quam "naturalia officia religionis, in statu hypothetico facta divinæ revelationis et fundate a Christo Ecclesiæ relatè ad statum personarum." Quivis fidelis uti officia habet erga se ipsum, et proximos, id est jus circa conservationem et perfectionem sui ipsius, societatem aliorum hominum vel civium; sic habet vel maximè officia erga Deum, id est, *jus circa sacra* accedit statui personali, e. g. in parentibus et in quovis paterfamilias, de quo Paulus ait: *Si quis suorum et maximè domesticorum curam non habet* (utique non de salute corporis tantum, sed animæ quoque), *fidem negavit, et est infideli deterior* (1. Tim. V, 8). Sic etiam status personalis imperantis spectari debet. "Nam, ut Augustinus ait, aliter Deo servit rex, quia homo est; aliter quia etiam rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter: quia etiam rex est, servit leges justè præcipientes et contraria prohibentes conveniente rigore sanciendo (Ep. 50, ad Bonifacium comitem)." Si ergo jus circa sacra vi rationis ex ipsa hypothesi institutæ religionis et Ecclesiæ deducitur, aliter exerceri non potest nisi secundum normam et naturam ejusdem religionis et Ecclesiæ.



*Respondeo 2.* Vera Christi Ecclesia non satis aptè dicitur *societas ad Deum eodem modo colendum invita*. Nam fides Dei donum est; et Ecclesia a Christo fundata est, non aliorum more collegiorum pactis hominum constituta. "Ego inquit Christus, ædificabo Ecclesiam meam. Et fideles a Deo vocati sunt in societatem Filii ejus, Jesu Christi, Domini nostri. De iisdem dicitur: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis (I. Cor. I, 9, III, 9)." Expressiones quibus utuntur scriptores quidam, utpotè expertes rerum theologiarum errores pelagianorum, vel semipelagianorum olent.

*Respondeo 3.* Æquè ineptum est, si princeps ecclesiam in suo territorio existentem suam vocet. Dici potest illud Paulinum: "Numquid imperans civilis crucifixus est pro vobis?" Aut in nomine principis baptizati estis? (I. Cor. I, 13). Ecclesia est sponsa Christi, quàm princeps opprimere non debet: est hæreditas Christi sanguine acquisita, cujus petitio nemini alii competit.

*Respondeo 4.* Vox *disponendi* circa religionis et Ecclesiæ negotia valdè anceps, et generalis, pertinens ad actus publicos et privatos, inter vivos et mortis causa. Paterfamilias quoque imperat suis, ut religionis ritus et præcepta Ecclesiæ servent exactè, ac cavet additis minis, et inflictis penis, ne illa præcepta, et ritus violentur. Atque hoc modo *circa religionis et Ecclesiæ negotia disponit*. Sed plerique scriptores in hoc genere sic ambiguè loquuntur, ut verba catholicam interpretationem admittant, et ad usum catholicæ interpretationi contrarium animos præparent. Dicunt item principio, aliquos pietatis actus ab imperio civili pendere (supra § V.); sed ita dein prosequuntur, ac provehunt philosophicam de jure circa sacra doctrinam, ut vix ac ne vix quidem externus aliquis religionis actus excoGITARI possit, in quo nihil juris imperanti civili asserant.

*Respondeo 5.* Interroganti fortassis jundè novi id scriptores didicerint jus circa sacra, quod imperanti tribuunt *circa Ecclesiæ suæ particularis* negotia? Indubitè ex libris protestantium. Nam primi quidem protestantes, ut sibi conciliarent gratiam principum, quorum ope et armis tum indigebant maximè ad novum Evangelium prædicandum, abriperunt systema territoriale, et instar axiomatis, jactitarunt: *Cujus est regio, illius es religio*. Postmodum stabilita potentia excoGITARUNT systema *collegiale*, vi cujus princeps in Ecclesia est instar gregarii militis, quemadmodum Pufendorfus inquit, at ne omnem ei potestatem circa Ecclesiæ negotia, qua potiebatur jam, viderentur adimere, recurrerunt tum ad jura generalia imperantis circa collegia in civitate existentia, tum ad jura a collegio eidem delegata tacitè vel expressè. "Manifestum videtur, ait Pufendorfus, cum per doctrinam Evangelii legitima vis imperii civilis haud minuatur; et verò princeps Ecclesiæ in sua ditione sedem concedat, eo ipso ad eundem, etiam nondum sacra christiana professum, spectare generalem quamdam in hancce, non secùs ac in reliqua collegia inspectionem saltè hactenùs, ut videat, ne quid in sui præjudicium ibi agatur (1). Similiter Boehmerus: Cum Ecclesia, inquit, collegium quoddam in republica repræsentet, non potest non, quatenus collegium, seu externa societas in republica est, summæ majestatis imperio esse subjecta (2)." Quod si protestantes veram jurisdictionem ac potestatem Ecclesiæ a Christo concessam, eamque a civili imperio distinctam et independentem agnoscerent, publicèque profiterentur, non ita ineptirent profectò, ut jura imperantium circa collegia civitatis ad ejusmodi Ecclesiam prorogarent. Atqui scriptores novi, catholico

(1) Pufendorf. de habitu relig. § 44, p. 205.

(2) Boehmer. de jure parochiali, sect. I, c. 2, § 48.

gloriantes nomine, ejusmodi potestatem et jurisdictionem, et libertatem atque independentiam agnoscant, et profitentur publicè; et tamen jura eadem, imò si res expendatur, majora etiam et plura tribuunt imperanti circa Ecclesiæ et religionis negotia ac fieri a protestantibus solet, certè verba ex protestantium libris describunt sæpè et ad catholicum systema adhibent.

Qui pro fundamento juris circa sacra illud perpetuò oggerunt, quia *Ecclesia in statu est, non status in Ecclesia*; nihil a prioribus diversum asserunt; nam illud dictum revera id denotat: imperans civilis *circa ecclesiæ suæ particularis* negotia potest disponere, totumque recidit in errores protestantium: "Cujus est regio, illius est religio, vel princeps potest disponere circa collegia civitatis, proindè etiam circa Ecclesiam, quæ pariter collegium est." Cæterum de dicto illo versatili disserui in Jur. publ. eccl. (cap. II, art. II hor. proleg.) Nunc illud animadverto inepta esse Pufendorffii verba: "Princeps ecclesiæ in civitate sua sedem concedit," neque enim Ecclesia aut instituta est, aut per orbem propagata jure concessionis, et gratia principum; sed obligatione et jure seu facultate apostolis et successoribus data a Christo, cui omnis potestas a Patre data est in cælo et in terra: Ite, prædicate, baptizate (Matth. XXXIII, 28). Apostoli autem, cum abstinere jussi essent a prædicando Evangelio, responderunt: "Obedire oportet Deo magis quàm hominibus (Act. V, 29)." Sed mira est quorundam contradictio: fatentur Ecclesiam esse *societatem divinitus institutam, et independentem a politica*. Assumunt dein propositionem hanc, *Ecclesiam esse in statu*. Cur non concludunt argumentum: "Ergo in statu est societas divinitus instituta, et independens a politica?" Atque hoc est quod orthodoxa antiquitas docuit, et summi principes agnoverunt, *duas esse supremas in orbe potestates*. Legati exterorum principum, etsi in statu versentur, non continuò pro subditis habentur: et ii, qui legatione funguntur pro summo Deo, in his ipsis causis subjecti habebuntur?

## II.

Aliud fundamentum juris circa sacra ex ipsis finibus rerum creaturarum erunt: sic enim aiunt: "Res omnes eum demum ultimum habent finem, ut Dei gloria et hominum salus obtineatur: proindè ipsa etiam majestas id sibi propositum habere debet, ut in subjectorum animis et virtutes excitet omnigenas, et qua fieri potest, foveat; et quoniam virtutes pietate erga summum numen et religione maximè nitantur, hæc religio etiam maximè curanda est a principe." Quo igitur jure gaudet princeps contra hostes Ecclesiæ et religionis, quàm tantoperè curare debet? Gaudet jure, inquit, in eos animadvertendi, vel eos ejiciendi, *si modo reipublicæ pariter hostes fiant*. Quid ergo? si reipublicæ hostes esse se negent, uti negant omnes? Scilicet tolerabit eos princeps.

*Respondeo 1.* Imperans tenetur quasvis virtutes excitare in subditis, et religionem maximè curare, nempe rationibus modisque aptis statui suo consentaneis, exemplo, executione legum Dei, et Ecclesiæ, protectione, et conservatione ordinis a Deo et Ecclesia præscripti, *concedo*. Tenetur id facere usurpando jus imperii in rebus sacris, judicando de Ecclesiæ causis et religionis ritibus, et agendo contra ordinem a Deo et Ecclesia præscriptum, *nego*. Sanè tenentur et singuli patresfamilias virtutes quasvis et religionem maximè in suis promovere, et curare; at nempe videndum est, *quatenus id jure possint debeantque*. Tenentur et singuli cives aliorum felicitatem etiam temporalem promovere; tenentur et singuli milites, quod suum est, conferre ad victoriam. Imperans civilis in Ecclesia est instar gregarii